

6a Junii
In festo S. BONIFATII
HYMNUS AD VESPERAS

Anglis nobilibus nate parentibus,
veram augere Fidem dux habilissime
paganaeque luis destruere ultimas
aras flectere et asseclas,

caedens Geismariam Teutonici Iovis
quercum vaticinam daemonum atrocium
cultum legifero vulnere percutis
convertisque animos truces.

Ardentis iuvenis lumine pervolas
Christi luce flagrans Frisiam et Hassiam,
longum, ut Papam adeas, ter repetens iter
exornatus es infula.

Romanae Cathedrae iungere principum
Germanorum animos naviter appetens
Francis impetui sed renuentibus
dilabi tuum opus vides.

Sed fundamina, quae relligiosior
Mens fortisque manus condiderunt, manent.
Frustra destruitur, quod Deus exstruit.
Gaudent augmine poster.

Multis coenobiis te duce conditis
una cum famulis Frisiam inhospitam
Christi verba docens ense cadis fero
palmae martyrii petax.

Gaude, Fulda vetus, praesulis optimi
praelecta sacris relliquiis frui,
donata Hesperiae corpore Apostoli,
da vestigia subsequi!

Sit laus magna Patri, qui genuit Suum
aequalem Sibimet Filium amabilem,
cui compar sit honos, Spirituique idem
atque uni Triadi decus!

Amen

JOHANNES GEORGIUS BERTRAM